



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

P R A E F A T I O.



ULTI eam Theologiae partem, quae in speculatione versatur, parum sibi utilem, parum moribus accommodam arbitrantur. Quo fit ut vel exigua in ea sibi comparanda, dum in Theologiae palaestra exercentur, operam collocent, vel

certè absoluto studiorum curriculo negligant, totiq; in eam quae practica vocatur, incumbant. Prorsus ac si ista planè sterilis, hac sola fecunda foret in hominum utilitatem.

Theologiae
speculativae
praestantia.

Sed falluntur profectò, atque iucundissimo utilissimae scientiae fructu sese priuant. Nam primò, inter omnes Theologiae partes nulla praestantior, nulla dignior, nulla quae magis Theologiae aut sapientiae (quae aeternis contuendis consulendisq; insistit) nomen mereatur. Longè enim praestantius est, de rebus diuinis, nempe de Dei perfectionibus, de S^ma Trinitatis arcano, de creatione & conseruatione mundi, de cooperatione Dei cum rebus creatis, de Incarnationis & Eucharistiae mysterio, de visione Dei, & vita aeterna, vel pauca cognoscere, quàm plurima de rebus creatis, de inuentis & institutis humanis, alijsq; rebus, quarum usus solùm ad hanc vitam pertinet.

Utilitas.

Deinde, hæc pars Theologiae homini non solum maximam consolationem adfert, si quis ea probè norit, uti, sed etiam summam perfectionem & sanctitatem conciliare potest. Non enim, ut quibusdam persuasum est, ea quae
hic

hic traduntur, ad scholas tantum ac scholasticas perti-
nent disputationes, sed vel maximè ad usum ac commo-
dum cuiusque derivantur, ut scilicet attentissima illarum
rerum consideratione mens in Deum assurgat, illum con-
templetur, admiretur, veneretur, timeat, amet, & iugiter
laudet ac benedicat, semperq; in eius conspectu posita, vi-
tam omnem ac mores ad eius beneplacitum nutumq; per-
fectissimè componat. Hic est proprius Theologiae specula-
tivia scopus, hic finis. Hanc ob causam sublimia ista my-
steria saepe animo voluenda, & mens in eorum contem-
platione exercenda, idq; ea animi submissione ac reueren-
tia, qua par est, ope diuina, ac sancti Spiritus illustratio-
ne, ad id ritè peragendum, frequenter implorata. sine hac
enim sterile esse ac inutile omne nostra contemplationis
studium, fatendum est.

Accedit, quòd etiamsi alia qua in Theologia tradun-
tur, ad vitam piè sanctèq; instituendam conducant pluri-
mum, nihil tamen sit, quod mentem adeò à rerum fluxa-
rum & caducarum amore auocet, & ad caelestium ac
aeternarum desiderium inflammet, quam diuinarum per-
fectionum & operationum meditatio. Hæc est quæ sola
veluti omnium aliarum scientiarum Domina & Prin-
ceps in futuro sæculo vigeat, & omnia reget ac modera-
bitur, cessantibus omnibus alijs qua in hoc sæculo ad pra-
xim comparata. Hæc homini in terra constituto prælibat
initium caelestium gaudiorum, dum, quod in aeterna An-
gelorum societate ipsi agendum est, id inter homines con-
stitutum agere docet, singulari quadam aeterna felicitatis

*perrogatiua. Ad hanc tamquam ad supremum culmen
omnis sapientie ac virtutis S. Dionysius ita Timotheum*

Cap. 1. My-
sticæ Theo-
logiæ.

*exhortatur: Tu verò, chare Timothee, circa mystica
spectacula, continua exercitatione & sensus relinque,
& intellectuales operationes, & sensibilia, & intelli-
gibilia omnia, & ea quæ sunt & quæ non sunt omnia, vt
ad vnionem eius qui super essentiã & notionem est,
quantum fas est, sine notione assurgas. vbi de excellen-
tissimo agit contemplationis modo, in quo consideratis ac-
curatè Perfectionibus diuinis, quatenus ad certam spe-
ciem limitata ac inter se distincta offeruntur, mens assur-
git ad aliquid sublimius & illimitatum, omnibus istis
infinite præstantius, illiq; ignoto modo se contemplatione
& amore coniungit.*

de vñs.

*Denique cognitio diuinarum Perfectionum est su-
prema ac prima omnis sanctitatis & perfectionis vitæ re-
gula natura rationali, Angelicæ pariter ac humane: qua
si perfecta sit, sola sufficit ad summam maximarum vir-
tutum perfectionem assequendam. Nosse enim te, con-
summata iustitia est, & scire iustitiam & virtutem
tuam, radix est immortalitatis. Quia scilicet cog-
nitio Dei est suprema & absolutissima perfecta consum-
mataq; iustitia regula, eamque in affectu excitat, excita-
tam auget, auctamq; perficit. Et quid est illud, Hæc est
vita æterna vbi cognoscant te verum Deum, & quem
misisti IESVM CHRISTVM; nisi hanc notitiam esse
normam omnis reëtitudinis, qua certissimè ad vitam
æternam perducamur. Quid, quòd Apostolus toties tam
arden-*

Sap. 15.

Ioan. 17.

ardentibus votis rogat & obsecrat ut fideles crescant in
scientia Dei: Quid, quod tam serio Abrahā incalcatur,
Ambula coram me, & esto perfectus; quid, inquam, in-
dicatur aliud, nisi per assiduam diuinā præsentiā, ac diui-
narum Perfectionum considerationem, virtutes ac vitā
perfectionem acquiri? Hinc in præsentiā Dei prae oculis
sibi perpetuò retinenda, Sanctorum studium ac industria
plurimum desudauit. Huc etiam pertinet diuinorū Mo-
rum consideratio, quos sub diuinis Perfectionibus com-
prehendere possumus: ad quorum imitationem Christus
Dominus crebrò suos hortatur: Diligite, inquit, inimi-
cos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filij
Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit
super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.
& Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis
perfectus est. Estote ergo misericordes, sicut & Pater
vester misericors est. Christum hac in re Apostolus imi-
tatur, dum Ephesios & in ijs nos omnes, ut Dei simus
imitatores, exhortatur. Estote, inquit, imitatores Dei
sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut &
Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro no-
bis. Ex quibus efficitur, diuinarum Perfectionum, consi-
derationem regulam esse excellentissimam omnis perfe-
ctionis & sanctitatis, quæ si menti nostræ perfectè propo-
sita foret, alia regula minimè esset opus.

Porro sicut diuinā præsentiā cognitio, ac diuinorum
Morum operationumq; meditatio hominem adducit ad
omnem virtutem ac vitā perfectionem: ita econtrariò

Rom. 15, 14.
1. Cor. 1, 5.
Ephes. 3, 19.
Philip. 1.
Col. 1, 1.
Genes. 17.

Math. 5.

Ibidem.

Luce 6.

Ephes. 5.

Dei ignoratio, ac inconsiderantia fons est omnis vitij, turpitudinis ac peccati, iuxta illud: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quis enim est tam proiec-tus salutis, qui scelus ullum in se admittere non formidaret, si quantum id Deo displiceat, perpenderet, ac cum sibi presentem, iramq, suam ac aeterna calamitatis fulmen minitantem apprehenderet?

Ratio vero cur cognitio Dei prima sit regula virtutis, est manifesta. Quia perfectio hominis consistit in unione cum Deo, primo suo principio, & fine ultimo. Hac autem unio cum Deo originem accipit à cognitione, qua totius unionis cum Deo est fundamentum. Nam, ut Dionysius ait, prima unio cum Deo est per intellectum. Ex hac autem sequitur unio per affectum, nempe per spem, charitatem & religionem: & unio aliarum virium anima cum eodem, quatenus earum operationes per affectum in Deum, id est, in Dei gloriam eleuantur ac diriguntur. Id ipsum in beatissimis cali incolis observatu dignissimum est: illorum enim affectus omnes ac motus secundum unicam eamq, perfectissimã diuina cognitionis regulam efformantur. Ab hac alie omnes iuste sancteq, viuendi regula participant rectitudinis rationem; ex hac omnis Christi doctrina ac vita immediatè profluxit; ex hac omnium Sanctorum documenta & exempla omnia dimanarunt. Quod etiam ex eo confirmari potest, quod omnis lex & regula à lege aeterna deriuntur. Atqui lex aeterna

ex essentia diuina resultat, sicut lex natura in homine & Angelo ex natura rationali. Ergo Diuinitatis cognitio est prima ac suprema regula omnis perfectionis.

Postremo, cum Dei notitia, sui consideratio est coniungenda, ut perspecta utriusque distantia, hinc sua imperfectione ac tenuitate, inde Dei perfectione ac maiestate, quid cuique tribuendum sit, depulsis proprii amoris tenebris, clarissime cognoscat. Ex mutua enim illa humanae humilitatis ac diuinae celsitudinis compositione, quid officij sui ratio tum erga Deum tum erga seipsum postulet, facillime cognoscetur. A nobis malum habemus, & imperfectionem; a Deo omne bonum, & omnem perfectionem. Quapropter omnis amor Dei bonitati debitus, omnis honor perfectioni; nostrae uero malitiae poena, dilatatam contempnus.

Porro in Deo considerari possunt vel perfectiones intrinseca, quae illi Maiestati inesse concipiuntur, vel extrinseca actiones in creaturas, & utrarumque consideratio est nobis regula summa sanctitatis. Harum quidem per modum exemplaris, quod iuxta Domini monitum proponitur nobis imitandum. Matth. 5. Estote perfecti, sicut & Pater uester caelestis perfectus est. nempe in dilectione inimicorum, in patientia, longanimitate, misericordia, &c. quae in operibus Dei eiusque gubernatione elucent. Illarum uero varijs modis, prout illarum consideratione ad amorem, timorem, uenerationem, humilitatem, aliasque virtutes commouemur, ut infra explicabitur.

Itaque statui tractare de Perfectionibus diuinis, & simul

simul

Ratio inscri-
ptionis.

• simul de Moribus diuinis qui nobis imitandi, tamquam
diuinarum virtutum & perfectionum functiones. Et
• quamuis hæ perfectiones, ut sunt in Deo, non distinguantur,
• sed vnica sint, summa, absolutissima & simplicissima perfectio; tamen quatenus menti nostræ obijciuntur,
• & à nobis concipiuntur, habent quamdam quasi formalem distinctionem, qua instar distinctarum formarum,
• à nobis apprehenduntur, neque aliter in hac vita concipi possunt; cuius rei ratio infra explicabitur. Quare cum diuina Perfectiones, ut menti nostræ obijciuntur, multa sint numero, & diuerso modo, & ad diuersas virtutes mentem moueant, numero multitudinis eas exprimimus, & huic Operi præfigimus epigraphen, de Perfectionibus diuinis, potius quam de Perfectione diuina. Doctores Scholastici Attributiona diuina vocare solent, ut insinuent inter illa ex parte rei non esse distinctionem, sed solum ex nostra conceptione, dum vario modo varioq; conceptu ea Deo tribuimus.

Distributio Operis.

• Hæ Perfectiones etsi modo vario proponi possint, & ad plures aut pauciores reuocari, pro nostro tamen instituto ad quatuordecim eas reducimus. Quarum quatuor, modorum instar aut conditionum generalium considerantur, tum circa essentiam, tum circa essentiæ attributa, ut Infinitas, Immensitas, Immutabilitas, Æternitas. Non enim solum essentia diuina est infinita, immensa, immutabilis, æterna, sed etiam Potentia, Sapientia, Bonitas, Prouidentia, Iustitia, Misericordia, Beatitudo. Quatuor verò nostro concipiendi modo se habent qualitatum

tatum instar absolutarum, absque respectu ad creaturas
existentes, ut Omnipotentia, Sapientia, Perfectio, San-
ctitas. Reliqua sex dicunt respectum ad creaturas ex-
istentes, ut Benignitas, Dominium, Prouidentia, Mi-
sericordia, Iustitia, Finis vltimus. Ad haec omnia cetera
facile reducuntur. Nam ad Infinitatem pertinet quod sit
incomprehensibilis. Ad Immensitatem, quod illocabi-
lis & incircumscribitus. Ad Immutabilitatem & Infini-
tatem, quod simplex, carens omni compositione. Pa-
tientia & Clementia ad Misericordiam, Praedestina-
tio & Reprobatio ad Prouidentiam, utpote eius partes,
Ira ad Iustitiam reuocatur.

Partiemur hoc Opus in quatuordecim libros, secun-
dum numerum istarum quas enumerauimus Perfectio-
num; quorum alij alijs erunt longiores: sed commodè ali-
ter non potuit fieri distributio. Modus tra-
Modus tractandi. ctandi.
erit omnino scholasticus, sed nonnihil liberior, ut res illa
non solum utcumque intelligantur, sed amplo quodam ac
splendido modo menti Lectoris obijciantur, prout idonea
sunt non modo ad intellectum clarè instruendum, ve-
rùm etiam ad concitandum in animis affectum piete-
tis. Ita enim concipi debent, ut mentem admiratione,
stupore, reuerentia, timore, amore, gaudio possint afficere.
Quod non fit, cum in minutis ac subtilitatibus quibus-
dam, solum ad disputationem comparatis, haeretur. On-
nia tamen conabimur sic explicare & mentis oculis obij-
cere, ut quantum fas est, intelligi possit ratio singulorum,
adhibita ratione naturali, & auctoritate sanctorum.

Pa-

Patrum, ac praesertim S. Scriptura, ut locus ingenio ac meditationi Lectoris relinquatur, neque mens multa lectione obruatur. Plus enim illustrat mentem, ac potentius mouet affectum intenta paucarum rerum consideratio, quam multa lectio, longusque multorum argumentorum discursus: qui tamen, ubi res postulabit, non deerit.

Conscriptus fuit iste Tractatus à me iam ante tredecim vel quatuordecim annos (exceptis duobus libris postremis, de Iustitia, & Ultimo sine, quos partim anno superiori, partim isto adieci) hortatu R. P. Francisci Florentini tunc Prouincialis nostri, viri admodum pij, & diuinarum rerum meditationi addicti. Cui cum exemplar scriptum tradidissem, non magnopere mihi cura fuit reliqua adicere, & Opus in lucem dare, praesertim cum multe aliae occupationes non deessent. Quo factum est, ut editio Operis, etsi exigui, in hoc tempus extracta sit. Deum precor, ut Lectoribus lumen intelligentiae & affectum pietatis excitet.



Facul-